

DISPVATIO LXXXIII.

AD INSIGNIORES CILICIAE ANTIQVITA-
TES ANIMADVERSA.

I.

Cilicia, extra Graeciam sita, coloniis ex Europa ductis, culta, et Graece locuta, Graecorumque instituta & disciplinam secuta, situ loci finibusque ab aliis Asiae minoris regionibus se distinxit. *Herodotus l. VII. Apollodorus biblioth. l. III. In hoc, et similibus scriptoribus, mythica a veris, dubia a certis, praesertim in nominum rerumque originibus discernenda sunt. De Argivorum colonia in Ciliciam ducta legendi Strabo, et Dio Sophista, qui ut de Tarso et Cilicia, sic Cicero de Epheso, et Ionia, alii de aliis Asiae minoris urbibus regionibusque testantur. Dionysius periegetes in descriptione orbis, ibidem Eustathius in scholiis, Diodorus Siculus l. XIIII. Strabo lib. XIV. Pomp. Mela de situ orbis l. I. c. 13. Plinius l. V. H. N. c. 27. Solinus Plinii compiler cap. XLI. Ptolomaeus Geogr. l. V. c. 8. Stephanus de urbibus in v. τραχῆια. Graecia proprie dicta Phthiotide finiebatur, quo significatu Homerus antiquissimus Graeciae scriptor, sed bello Troiano recentior, usurpavit. Thucydides de bello Pelopon. l. I. Hinc nomen laxius sumptum, multisque populis extra Helladem commune factum, et postremo etiam gentibus, Asiam minorem incolentibus, attributum est. Graecis dicitur ἡ πέραν Ἀργαίης ἑλλάς.*

II. Cuius multae urbes commemorantur, sed aliquae earum excisae, in ruinis iacent; omnium caput fuit Tarsus frequentia civium, et cultu animi, literarumque studiis clarissima, et amoenitate Cydni, qui urbem interfluit, maxime ad prospectum iucunda, quae duos oratores genuit, Paulum & Hermogenem, alterum Dei afflatu excitatum, alterum industria sua factum. *Strabo, prudens et ingenuus scriptor, Tarsum laudibus extulit, et libro Geograph. quarto decimo tradidit, palmam doctrinae Athenis et Alexandriae praeripuisse. Dio Chrysostomus testatus est, Tarsenses dignitate et divitiis floruisse, ob eamque causam dixit, γνωρίμους καὶ πλεσίμους. in Tarsica altera. Inter Hebraeos fuit Iosephus, qui confirmaret, urbem fama et honore insignem, totius provinciae metropolin fuisse. τῶν (scilicet τῆς Κιλικίας) πόλεων ἡ ἀξιολογωτάτη καλεῖται μητρόπολις ἔσα. Antiquit. l. I. c. 7. Ante eum Strabo scripsit l. XIV. τὸν μητροπόλεως ἐπέχρσα λόγον. Quod eleganter appositeque expressit Solinus, atque urbem*